Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

·II·

ut nichil horum vel patri vel filio
vel spiritui sancto subtrahatis ne cum
forte personarum a plenitudinem
minuat distinctio aut proprietate
tollat perfectio Simul et hoc ad-
vertite quid simile filii huius seculi
experiantur de carnis illecebris
de mundi spectaculis et de pompis
sathane cum tamen hoc totum sit Unde
vita presens eludit miseros amato-
res suos dicente Iohanne Quia omne quod
in mundo est concupiscentia carnis est
et concupiscentia oculorum et ambitio
seculi Hoc de redemptionis fructu
In tertio quoque que si revolvitis
dei esse exinanitiones diffinimus
tertia Item precipue vobis in-
tuenda commendo non enim simplex
aut modica illa exinanitio fuit
sed semetipsum exinanivit usque
ad carnem ad mortem ad crucem
Quis digne penset quante fuerit
humilitatis mansuetudinis dignationis
dominum maiestatis carne indui
multari morte turpari cruce
Sed dicit aliquis Non valuit opus
suum reparare creator absque illa
difficultate Valuit sed maluit
cum iniuria sui ne pessimum atque
odiosissimum vitium ingratitudinis
occasionem ultra pareret in homine
Plane multum fatigationis assump-
sit quo multe dilectionis homines debi-
torem teneret commoneretque gra-
rum actionis difficultas redemp-
tionis quem minus esse devotum
fecerat conditionis facilitas Quid
enim dicebat homo creatus et in-
gratus Gratis quidem conditus

sum sed nullo auctoris vel gra-
vamine laboris Siquidem dixit
et factus sum quemadmodum et uni-
versa Quid magnum est qualis
magna in verbi facilitate dona-
veris Sic beneficium creationis at-
tenuans humana impietas ingra-
titudinis materiam inde sumebat Unde
amoris causa habere debuerat
idque ad excusandas excusationes
in peccatis Sed obstructum est os
loquentium iniqua Luce clarius
patet quantum modo pro te homo
dispendium fecit De domino servus
de divite pauper caro de verbo
de dei filio hominis filius fieri non
despexit Memento tamen te et si
de nichilo factum non tamen de nichi-
lo redemptum Sex diebus condi-
dit omnia et te inter omnia At
vero per totos ·xxx· annos opera-
tus est tuam salutem in medio ter-
re · O quantum laboravit susti-
nens carnis necessitates hostis
temptationes Primo sibi crucis ex- al. Nove
gravavit ignominia mortis cumu-
lavit horrore Necessarie quidem
Sic homines et iumenta salvabis domine
quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam deus
Hoc meditamini in hiis versamini
talibus odoramentis refovete vi-
scera vestra que diu torsit odor mo-
lestior peccatorum ut habundetis et hiis
unguentis non minus suavibus quam
salutaribus Nec tamen adhuc vos
putetis habere illa optima que in sponse
se uberibus commendantur De quibus
incipiendi modo finiendi iam sermonis